

Dissertatio inauguralis medica de bilis secretionem secundum et praeter naturam ... / auctor responsurus Carol. Christian. Guilielmus Juch.

Contributors

Juch, Karl Christian Ludwig.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Joannis Christophori Heringii ..., [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hj43hyve>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE



BILIS

SECRETIONE

SECUNDVM ET PRAETER
NATVRAM

DEO TRIVNO PRAESIDE

ET

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
CONSENSV

IN PERANTIQA HIERANA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIUM
ATQVE IMMVNITATIBVS

RITE ET SOLENNITER ADIPISCENDIS
DISPVTABIT

AVCTOR RESPONSVRVS

CAROL. CHRISTIAN. GVILIELMV
IVCH

PHIL. CAND. ET MED. PRACT. MOLHVSINVS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HORIS CONSVETIS

DIE XVI. APRILIS, MDCCCL.

ERFORDIAE

TYPIS JOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII

ACAD. TYPOGR.

DE CERTATO INVENTO IN VITICA

DE

BILLIS

SECUNDVM ET PRATER
NATVRAM

DEO TRIVNO PRABERE

GRATIOSAE FACULTATIS MEDIC

PRO GRADV DOCTORIS
SYMPTOMATA

CACTOR REED

CAROL CHRISTIAN GILLMAN

ICH

IN VITICA

IN VITICA

IN VITICA



DISSERTATIONIS
INAVGVRALIS MEDICAE

PROOEMIUM.



Dissertatio cum nihil aliud sit, quam doctum cum eruditis de re quadam ambigua certamen; ei, qui talem conscribit, incumbere videtur, ea vt eligat, quae nondum ab omnibus comprobantur.

Magnus itaque physiologorum dissensus circa secretionem in corpore humano fientes obuius impulit nos, vt tale quid elaboraremus.

Sunt enim, qui figuram & vasorum secer-
nentium & particularum secernendarum con-
formem perhibent, sunt, qui impraegnationem

omnium viscerum peculiari fermento pro-
caussa habent, sunt, qui omnia per glandulas
perfici contendunt, hinc & hepatis secretio-
nem ad glandulas referunt.

Majori fortasse iure RVYSCHIVS, de BER-
GER & alii, inter quos & praeceptor, patronus
omni venerationis & amoris cultu prosequen-
dus Illustris ac Excellentiss. HAMBERGERVS he-
par mere vasculosum pronunciant.

Plurimi iam vasculosam hepatis substan-
tiam agnouerunt, nemini vero, quantum sci-
mus, nisi Illustr. HAMBERERO Ienenfium Pro-
fessori Famigeratissimo, in mentem venit, quod
totum secretionis negotium tam in aliis visce-
ribus, quam in hepate procedens ex mera par-
tium adhaesione dependeat.

Secretionem itaque bilis monstraturi ex
particularum per se grauissimarum, in relatione
vero ad poros biliarios vel leuiorum vel aequa-
lium adhaesione, solidissimis Illustris Viri fun-
damentis innixi deducemus.

Ne quis vero putet me ea, quae Illustri
HAMBERGERO debentur, venditare pro meis,
publi-

publice heic fateor, me omnia studia, si tenues profectus studia adpellari merentur, ab Illustri hocce Viro accepisse.

Quamobrem quidquid boni deprehendet L. B. in hisce pagellis, id non mihi, sed Illustri praeceptori tribuet, quidquid vero vel vitiosum vel erroneum, si quid inest, obseruet, id in me, utpote auditorem, qui circa mentem & verba praeceptoris errare potuit, transferet.

Quoniam tandem quaedam reperiuntur, de quibus an pro suis Illustris HAMBERGERVS agnoscat, dubitamus, ne vero putet nos aliis nostram sententiam pro sua obtrudere velle monendum hoc esse duximus. Ceterum in omnibus, quantum pro viribus valebimus adpositis, nostras defendemus meditationes.

Faxit Summum Numen, quod supplex veneror, vt omnia in eius gloriam & in eorum, qui penes nos sunt, solatium feliciter & prospere cedant.

CAPVT. I.

Sistens

*Modum secretionis in hepate fientis
iuxta naturalem hominis statum.*

§. I.

quibus
ibus H.
onster.

Corpus humanum consideranti, occurrunt partes solidae miro artificio extractae in istis vero ipsis partes fluidae inter se diuersae reperiuntur.

SCHOLION.

Multo tamen maiorem quantitatem fluidarum, quam solidarum partiumprehendimus, ita vt earundem relatiua proportio sit vt 6: 1. auctore illust. HAMBURG. in princ. physiol. C. 1. §. 33. sq.

§. II.

M. S. Istud fluidum, quod in arteriis & venis, tamquam peculiaribus vasis vehitur, *massa sanguinea* audit, & ex eo omnia reliqua corporis humani fluida ortum trahunt solo chylo excepto, (per exper. anat.)

SCHOLION.

Ex eo quoque patebit, quod omnia fluida ex massa sanguinea proueniant, si consideremus, quod nihil sensibile, nisi sanguis ad ea viscera, in quibus tamen secretionem fieri scimus, deferatur, attamen secreta adsint. E. gr. ad hepar nihil plane quam sanguis deferatur, bilis vero conspicitur, ad renes quoque, & urina excernitur. E nullibi, quam ex massa sanguinea proueniunt.

§. III.

§. III.

Fluida, quae ex massa sanguinea oriuntur (§. 2.) & *M. S. est*
inter se & a massa sanguinea diuersa offendimus, quare *terogenea*
concludimus, quod ipsa sit summe *heterogenea*. Ex
homogeneo enim fluido alia fluida diuersa oriri haud
posse, infra (§. 6. Schol. 1.) patebit. Fluida vero ista, *Fluida*
quae ex ea ortum ducunt, minus heterogenea esse de- *M. S. or*
bent. E magis *homogenea*, quam ipsa massa sangui- *magis*
nea, alias idem produceretur fluidum. *homogenea*

SCHOLION.

Massae sanguineae heterogeneitatem ex recentioribus
exacte monstravit HOMBERGIVS *Memoir. de l'academ.*
des scienc. l'an. 1712, qui salinas tam acidas, quam al-
calicas, terreas, sulphureas, serosas &c. inesse adfir-
mat, nec quisquam hodie negat.

COROLLARIUM. I.

Massa sanguinea est fluidum heterogeneum & omnia C.
H. fluida, praeter chylum, ex ea oriuntur.

COROLLARIUM. II.

Fluida ex massa sanguinea prouenientia magis sunt ho-
mogenea, quam ipsa M. S.

§. IV.

Omnia corporis humani fluida si ortum debent
sanguini, etiam *bilis* ortum illi debebit, (§. 2. Schol.)
quam ob rem de ea scribenti, quomodo ista ex massa
sanguinea prouenire queat, differere incumbit.

SCHOLION.

Secretionum generalem modum merito praemittere de-
beremus, nisi Cl. D.D. KVNTSCHKE in *Dissert. Inaug.*

de Secretione in genere 1746. Witteb. habita fecisset, vt huic labori supersedere possimus.

§. V.

Actio, mediante qua fluida a massa sanguinea separantur consentiente tota physiologorum cohorte audit *secretio*.

§. VI.

Massa sanguinea (§. 2.) est fluidum heterogeneum (§. 3. Schol.) reliqua corporis humani fluida, si chylum exceperis, ab ea oriuntur (§. 2. Schol.) ista fluida, quae ex ea proficiscuntur minus sunt heterogenea, E. magis homogenea (§. 3. & cor. 2.) actio qua efficitur, vt fluida separentur, audit *secretio* (§. 5.). Ergo *secretio* nihil aliud erit, quam separatio *particularum inter se homogenearum ex fluido heterogeneo*.

SCHOLION. I.

In definitione data non absolutam particularum homogeneitatem sed relativam tantum ad istud, ex quo secretae sunt, fluidum, intelligimus.

SCHOLION. II.

Secretio aliter fieri non potest, nisi diversae adsint particulae inter se commixtae, ut ita particulae vnius generis in vnum colligi queant; ex particulis enim vnius generis nihil diuersum colligi posse constat.

SCHOLION. III.

Secretio quoque non adpellari poterit, si ex fluido heterogeneo rursus idem prodiret heterogeneum, hinc
ratio

ratio patet, quare omnia fluida ex M. S. separata magis homogenea sint quam sanguis ipse (§. 3.)

§. VII.

Vt igitur nostra de secretionem bilis theoria eo melius pateat, ab anatomica *hepatis* perscrutatione auspicabimur: sistimus itaque

Observat. anat. I.

Hepar est maximum viscus infimi ventris, quoad maximam partem in dextro hypochondrio situm, superficie conuexa & concava praeditum, diaphragmati aliquot ligamentis adnexum, ex vasis & vasculis, in primis venis aequae ac membranis constans.

SCHOLION.

Malpighius & alii substantiam hepatis glandulosam defendunt, nullo innixi fundamento, *fortasse ex eo*, inquit Illustr. HEISTERVS *) *adfirmarunt, quod varia in subiectis morbofis, bydrope praesertim ac atrophia defunctis, corpuscula sphaeroidica saepe quam plurima observauerint. Ast a corpore morbofo ad sanum non valet consequentia: corpuscula enim dicta tubercula morbofa sunt.*

*) HEIST, in *Not. ad comp. anat. not. (9.)*

§. VIII.

Posthabitis omnibus in hepate obviis ad *venam* *Venae Portae* ob mirandam tam & plane singularem structuram, quam quod magnam hepatis partem ramis suis replet, venio: itaque sit de ea

Observatio anatom. II.

Notandum, quod omnes venae ex ventriculo, omento,

B

inte-

intestinis & pancreate redeuntibus versus hepar abeant, & proxime ad concavam superficiem coalescant, & *truncus* sic dictus *venae portae* constituentur.

* Illustr. HAMBERRG. *physiol.* c. III. §. 140. B. STAHL. *de V. P. portae* *maior.* p. 14. B. HOFFMAN. *med. rat. System.* T. I. p. 185.

§. IX.

Observatio anat. III.

truncus
venae
portae.

Venae portae truncus (§. 8.) si ipsam hepatis substantiam penetrauit, in *sinum venae portae* admodum capacitatem mutatur, ex quo multi rami tam minores, quam maiores, qui successive angustiores, immo angustissimi fiunt, per totam hepatis substantiam distribuuntur; quare, quia haec vena sanguinem pro secretionem adducit, & sic aliqua ex parte arteriae vices gerit, *venae arteriosae* nomen habet, minime vero, ut nonnulli putant, ob pulsum, quo plane caret.

SCHOLION.

II, qui pulsum huic venae tribuunt, in hunc incidisse errorem videntur, quod arteriarum, quae undique venam portae comitantur, pulsum tribuerint venae portae. (§. 14.).

§. X.

Observat. anat. IV.

Vasa ista successive minima facta (§. 9.) iunctim sumpta & mensurata habent maiorem capacitatem eo trunco, ex quo prodierunt, trunco scilicet venae portae (§. 8.).

* Illustr. HAMBURG. *phys.* C. III. §. 140. KEIL, *Tentam. physiol.* §. 69.

§. XI.

§. XI.

Obferuat. anat. V.

Vafa venae portae minima (§. 9) partim cum ra- *Vena Cat*
musculis venae cauae vniuntur, partim cum nouis vasis
 coniunguntur, quae hic oriuntur quaeque *pori* dicun-
 tur *bilarii*. Vena caua in gibba quidem hepatis parte
 tantum haeret, plures tamen ramos in hepar trans-
 mittit.

*) HOFFMAN, *Med. rat. Syst.* T. I. p. 186. Illustr. HEISTER, *Comp. Anat.*
 p. 86.

§. XII.

Obferuatio anat. VI.

Pori bilarii in extremitatibus venae portae orti *Pori bilat*
 (§. 11.) per insertionem in se inuicem successiue eua-
 dunt maiores, vsque dum in vnum coalescunt trun-
 cum, *ductum* nempe *Hepaticum*: hic circa eum locum,
 vbi vena portae hepar ingreditur, exit, & *ductui cholido-*
cho, *cysticoque* fluidum haftenus contentum immittit,
 vnde via est in *duodenum* & *vesiculam felleam* aequae pa-
 tens. Pori hi bilarii cum omnibus ferme vasis in he-
 pate obuiis, excepta venâ caua, connectuntur per mem-
 branam robustam ex fibris densis tendinosi conflatam,
 a peritoneo prouenientem & omnia dicta vasa inuol-
 uentem, *capsulam Glissonii* dictam.

*) Illustr. HAMBERG, *phys.* C. III. §. 143. Excell. HEISTER, *Comp. Anat.*
 p. 68. 69. 79.

§. XIII.

Obferuatio anat. VII.

Vasa Lymphatica quam plurima per inflammationem *Vasa lym.*
arte-phatica.

arteriae hepaticae atque pororum bilariorum fiunt conspicua in tota hepatis superficie. Haec vasa in vena portae absunt, ne sanguis ante secretionem spissior, absorptione fiente, euadat, sed in arteriis nutritionis causa, & in poris bilariis, ut bilis magis idonea redderetur, adsunt, in *vesicula fellea* ob vasorum lymphaticorum copiam & diuturniorem retentionem, bilem magis amaricantem & spissiore deprehendimus, de quo infra (§. 30.) dicitur.

§. XIV.

Observatio anatom. VIII.

arteria hepatica.

Arterias considerando primum occurrit ista, quae a coeliacae dextro ramo oritur & iuxta venam portae hepatis ingreditur & eandem usque ad extrema vascula ramificationibus suis concomitatur, ramum dat vesiculae felleae, qui rursus in duos dividitur ramos & nomine gemellarum cystidis insigniri solent; extrema arteriae huius oscula cum vena cava uniuntur.

SCHOLION.

Illustris. L. B. de HALLER. in *Comment. ad Boerb. Tom. III. p. 126.* monstrat modum, quomodo distincte videri possit, quod arteria undique comitatur venam portae, si nempe ambabus materia ceracea varii coloris iniiciatur.

Duas arterias a diaphragmaticis oriundas conspiciamus, omnes ad hepar peruenientes, *hepaticae* dicuntur.

*) *Illustr. HEISTER, Comp. anat. p. 68. Van HORNE in Microsc. §. 66. not. y) ed. Lips.*

§. XV.

Obseruatio anat. IX.

Nerui multi hic reperiuntur, qui hic plexum nervo-
sum formant, cetera ligamenta lata & rotundum, emi-
nentiam &c. breuitatis causa omittimus.

§. XVI.

His rite pensitatis, quis negabit, longe maiorem
sanguinis quantitatem ad hepar abire quam pro nutri-
tione fuisset necessaria.

*Magna M
S. quant
tas ad he
venit.*

SCHOLION.

Quaerenti: Vnde id probare possem? respondeo, quod
arteriae enumeratae (§. 14.) pro nutritione huius vi-
sceris sufficerent. Ex anatomia enim patet, quod
musculi magnae molis vasis sanguiferis minoribus
gaudeant & tamen sufficientem habeant nutritio-
nem, E. & hepar, nisi alius adhuc scopus adesset, E.
plus, quam nutritio requirit, sanguinis ad hepar
peruenit.

§. XVII.

Sanguis venosus est, qui per magnam hepatis
partem mouetur (§. 8. 9. 10.)

§. XVIII.

Hic sanguis (§. 17.) plus quam reliquus corporis
humani serosis particulis destitutus est, (§. 8.) E. cras-
sioribus abundat (§. 2. & Schol.)

*Sanguis
crassus est*

*) Io. Gottfr. BERGER. *de nat. hum. p. m. 213. sqq.* B. HOFFMAN, *in Med.
rat. Syst. Tom. I. p. 185.*

SCHOLION.

Ex pancreatis enim, ventriculi & intestinorum venis conflatus est Truncus venae portae (§. 8.) in omnibus vero hisce lymphæ & liquor serosus secernitur, experientia teste. E. particulae crassiores adhuc supererunt, quae ad hepar per venas deferuntur.

§. XIX.

ardum hic
bet mo-
m.

Sanguis in hepate tardiozem habet motum, quoniam ex canali per se quidem capaci (§. 8.) in infinite paruos canaliculos transit, qui vero iunctim sumti, habent maiorem capacitatem eo trunco, ex quo prodierunt (§. 10.). Ex legibus enim hydrostaticis patet, quod fluida, si ex canali quodam abeant angustiori in vnum capaciozem vel in plures seorsim quidem angustiores, coniunctim vero capaciores, tardiozem accipiunt motum.

*) *Illustr. HAMBERG. phys. C. III. §. 105. no. 7. Fr. HOFFMAN. l. c. p. 186. KEIL Tent. physiol. §. 69. L. B. de VVOLF. in princ. hydrost.*

§. XX.

ualis usus
ri bilarii?

Pori sic dicti bilarii successiue maiores facti (§. 12.) fluidum quoddam vehunt a sanguine diuersum. Hi pori vltimam originem ex vena portae ducunt, nihil quam sanguis in vena portae haeret, fluidum vero a sanguine diuersum conspicitur in poris. E. ex sanguine venoso prouenit istud, quod in dictis continetur poris.

§. XXI.

ansitus.

Certum itaque est, quod fluidum quoddam a sanguine diuersum (§. 20.) in hepate secernatur. Modum

dum iam istius secretionis, quantum vires nostrae permittent, sumus tradituri.

§. XXII.

Vasa adfunt maiora (§. 8.) pro aduehenda sufficiente sanguinis quantitate, non enim sanguis sed pars tantum eiusdem secernitur (§. 6.). Vasa haec maiora diuisa sunt in infinite parua (§. 9.) vt omnes particulae ad contactum venire queant successiue, quod melius obtinetur in vasis angustioribus, quam in vno capaciori. *Quare Vasa mai. in h. pate sint.*

SCHOLION.

Physices praecepta docent: quod contactus ad adhaesionem requiratur, & quoniam infra patebit, nos totam secretionem ex adhaesione deducere, contactum omnino praesupponimus nec demonstratis repugnat.

§. XXIII.

Vasa ista minima (§. 9. 22.) habent maiorem capacitatem eo, ex quo prodierunt trunco (§. 10.) E. motus in iisdem erit tardior (§. 19.) ne particulae ad contactum venientes (§. 22.) ex celeriori motu propellerentur. *Quare motus tardior*

§. XXIV.

Philosophia naturalis docet:

- 1) Quod omne fluidum specificè leuius, adhaereat solido specificè grauiori. *Axiomata physica.*
- 2) Quod nullum fluidum specificè grauius adhaereat solido leuiori.

3) Quod vnum idemque fluidum specificè leuius corporibus solidis specificè grauioribus diuersis, diuersa adhaereat vi, fortius, densioribus, debilius, minus densis.

4) Quod fluida, diuersae grauitatis specificae eidem solido specificè grauiori diuersa adhaereant vi, vt quo magis fluidi grauitas specifica accedat ad grauitatem specificam solidi, eo fortius adhaereat.

§. XXV.

ori biliarii
iam gra-
uitatem ha-
ant?

Sanguis ad hepar defertur, particulis serosis destitutus, crassioribus abundans (§. 18. Schol.) E. specificè grauior, erit reliquo sanguine. Experientia testatur, quod vasorum biliariorum parietes sint omnibus parietibus vasorum fecernentium corporis humani densiores, E. specificè grauiiores. Quid igitur obstat, ne dicamus, ex ea causa esse omnibus specificè grauiiores, vt sanguis grauior redditus iisdem adhaerere possit, si enim leuiiores essent parietes non adhaererent particulae sanguinis (§. 24. n. 2.) vtpote grauiiores factae.

SCHOLION.

Quod grauitas parietum multum ad Secretiones conferrat, ex eo patet, quoniam eorundem grauitas specifica, pro gravitate specifica fluidorum, quae fecernuntur, variat. Sic maximam grauitatem habent pori biliarii & fluidum, quod per eos fecernitur, Bilis nempe est omnibus C. H. fluidis specificè grauius; minorem habent tubuli urinarii Bellini, & fluidum, quod fecernunt minorem habet grauitatem specificam bile, minorem rursus habent ea, in quibus lympham fecernitur, lympham vero est specificè leuior vrina, mini-

minimam grauitatem habent, ea, vbi spiritus feceruntur, & spiritus quoque omnibus specificè leuiiores sunt.

§. XXVI.

Totam itaque secretionem in hepate fientem ita *Modus secretionis.*
concipere licebit:

1) Sanguis ex sinu venae portae in infinitos transiens ramulos (§. 9.) minorem accipiet celeritatem (§. 19.) quoad motum progressiuum.

2) Motu progressiuo tardiori fiente, etiam motus particularum in se inuicem, quem intestinum vocant, fiet tardior, E. eae vniuntur rursus particulae, quae ex motu celeriori resolutae erunt. E. & hoc modo grauiiores redduntur.

3) Sanguine sic ad vasa minima delato (§. 9.), ad orificia quoque vasorum biliariorum perueniet (§. 12.) & omnes sanguinis particulae successiue ad contactum venient, partim ob angustiam vasorum (§. 22.) partim ob tardio rem motum (§. 19. 23.) particulae vero tam leuiiores (§. 24. n. 1.) quam aequales (§. 24. no. 4.) ad contactum venientes adhaerebunt parietibus pororum biliariorum vtpote specificè grauioribus (§. 25.) & cum orificia adsint, ex adhaesione penetrabunt. Specificè aequales fortius adhaerebunt, quam leuiiores (§. 24. no. 3.) E. leuiorum magna quantitas ex motu progressiuo propelletur & sic totum ferme secretum ex aequalibus constabit. Quoniam vero pori bilarii maximam omnium C. H. vasorum fecerentium grauitatem specificam (§. 25.) habent, particulae

ticulae quoque sanguinis maxime graues (quales sunt sulphureae, oleosae, pingues &c.) magis adhaerebunt, & sic quoque istud, quod producitur fluidum, omnibus C. H. fluidis secretis erit specificè grauius (§. 25. Schol.).

5. Angulus quoque multum facit, quem pori bilarii cum vasculis venae portae includunt, ne quidpiam praeter id, quod fortius adhaeret, transire queat.

§. XXVII.

Fluidum sic secretum (§. 25. n. 3.) poris bilariis successiue maioribus factis, in ductu cholidocho & cystico (§. 12.) fit sensibile, & ex particulis oleosis sebo subactis salinis, paucioribus alcalicis & volatilibus solutis atque incoctis constat. A Medicis *bilis* dicitur & nonnullis prius vsibus inseruit, quam e corpore eicitur.

*) Illustr. HAMBERG. *physiol.* C. III. §. 14. *Memoires de l'acad. des sc.* 1709. 10. Henr. SCHVLZII *physiol. Med.* p. 20, 10. Gottfr. BERGER *de nat. hum.* p. 225.

SCHOLION.

Non latet, quod nonnulli sint, qui omne alcali ex bile proscribant; alii rursus, qui omnem bilis naturam in alcalico quaerunt; media ergo consistemus in via, & aliquid alcalici inesse adfirmamus, quoniam syrupum violar. reddit viridem, & cum acidis ebullit, e. gr. cum oleo Vitrioli & aqua forti. Maxima vero pars ex sulphure, paucio alcalino accurate mixto consistit, ut exinde saponacea oriatur natura.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Quaererent forte alii: quomodo fluidum sic secretum (§. 26. n. 3.) & bilis dictum (§. 26. per poros bilarios (§. 12.) moueri queat, vt tandem ad intestina & cystidem perueniat, cum nulla adsit vis impellens? *Quomodo bilis in vis bilari mouetur*

Nos rationes quaerimus huius motus

1) in cordis & arteriarum impetu: sanguis enim a corde & arteriis continuo pressus, premit quoque particulas in orificiis pororum bilariorum haerentes; hae vero proximas, quae iam intrarunt, propellant, & sic bilis secreta in vasis secernentibus aequae ac sanguis a corde movetur.

2) in motu tonico & elastico, quo efficitur, vt particulae in poris haerentes premantur. E. propellantur.

*) *Illustr. HAMBERG. phys. C. III. Excell. ALBERTI. Diff. de atonia.*

§. XXIX.

Restat adhuc, vt dicamus, quare Venae portae vltima oscula in extremis venae cauae desinant partibus? *Quare con nexio V. C.*

(§. 11.) Ea quidem ex causa hoc ita esse putamus, vt c. V. C. eae partes, quae non adhaerebant (§. 25. 26.) ad cor transitum per ipsam venam cauam haberent.

*) *Fr. HOFFMAN. Med. rat. Syst. T. I. p. 184.*

§. XXX.

Notatur quoque, quod bilis ex ductu hepatico *Bilis hepatica & cystica* dilutior prodeat, & minus amaricans, quam ex cystide; cuius ratio haec esse videtur: in cystide diutius remanet, & quia copiosa vasa lymphatica (§. 13.) ibi haerent

rent, non mirum, quod particulae serosae adhuc superstites ab ipsis absorbeantur & magis concentrata reddatur bilis.

§. XXXI.

Haec de secretionem bilis in statu sano sufficiant: & quia nemini nostram sententiam obtrudere volumus, doctioribus ad iudicandum relinquimus, quid de ea sentiendum, quidue aliorum hypotheses de specifico fermento, vi attractrice, deque figuratiua pororum & particularum conuenientia valeant.

*) STAHL *de parallogismo proport. figurae poror. Excel.* ALBERTI, *Introd. in Med. P. I. c. 6. p. 67.*

CAPVT II.

Sistens

Vsum bilis naturalem.

§. XXXII.

Propositis iis, quae nobis de secretionem bilis probabilia videbantur, ad vsum eiusdem nos conuertimus.

§. XXXIII.

Is potissimum in eo consistere videtur:

1) vt chylum attenuando aptiorem reddat, qui resolvere cibos posset, & sese cum iis intime miscere.

2) vt

2) vt intestina stimulet, quo facilius feces eii-
cere valeant, vnde a B. WEDELIO clyster naturalis vo-
catur, & B. HOFFMANNVS non dubitat, bilem sanam
tamquam primarum viarum vniuersalem medicinam
depraedicare.

*) G. VV. VVEDEL. *amoen. mat. med. p. m. 229.* HOFFMAN. *Diff. de bile,*
medic. & venen. corp.

§. XXXIV.

A posteriori luculenter adparet thesios nostrae *Vsus a pos*
(§. 33.) veritas, si nempe videamus, quot & quanti a *riori inn*
bile peccante morbi producantur. *tescit.*

§. XXXV.

Bilis hepatica semper ferme adfluit pro attenuan- *Cystica re*
do chylo (§. 33. no. 1.) cystica vero tunc tandem, *soluit, hep*
quando a partibus adiacentibus premitur, e. gr. a ven- *tica praep*
triculo repleto. Itaque cystica, quoniam saturatio- *rat.*
est (§. 30.) ad resoluendum, hepatica vero ad praepa-
randum apta videtur.

CAPVT. III.

Sistens

*Morbos ex secretionem bilis vitiata
oriundos.*

§. XXXVI.

Morbus est impotentia partium corporis humani *Quid mor*
viventis, exercendi omnes suas actiones decen- *bus?*

ter, a constitutione earundem praeternaturali dependens.

(*) *Illustr.* HAMBERG. *fund. pathol.* C. I. §. 2.

SCHOLION.

Minus recte a multis definitur morbus, quod sit mutatio status naturalis in praeternaturalem, cum ab ista tantum dependeat, non vero constituatur. Alii per longam enarrationem symptomatum morbum definiunt, nescio, an contra regulas definitionis peccent, dum nimis prolongant definitiones. Quamobrem *Illustr.* HAMBERGERI definitioni inhaesimus, quoniam nemo, quantum scimus, tam pauculis verbis totum morbi ambitum, exhaustit, quod eo magis licebit, cum me auditorem Illustris huius fuisse Viri lubens profitear, & omnia, siquae didici, ex eius eruditissimis praelectionibus accepisse fatear.

§. XXXVII.

vitium secretionis
ubi haereat?

Secretio (§. 5.) bilis (§. 27.) per poros bilarios (§. 12.) ex sanguine venae portae (§. 8. 12.) fit (§. 26. no. 3.) Ergo vitium secretionis laesae haerebit vel in transmittentibus partibus, vel in recipientibus, vel in partibus constitutivis.

SCHOLION I.

Per partes transmittentes intelligimus ista vasa, quae fluidum secernendum vehunt, hoc loco V. P. per partes recipientes, quae fluidum secretum vehunt, quae hic bilarii sunt pori; per partes constitutivas vero eas, quae ipsam bilem constituunt.

SCHOLION. II.

Plane non excludimus alias causas, quibus secretio bilis

lis intercipitur e. gr. inflammatione arteriarum hepaticarum, sed eas tantum propterea non attingimus, quia non immediate, sed tantum per consensum eandem intercipiunt.

SCHOLION. III.

Multo minus negamus, quod vitium secretionis laesae in duabus, simul partibus esse possit e. gr. in partibus transmittentibus & recipientibus simul &c. Sed quia difficilius ista cognoscimus, forte numquam cognoscere valemus, ea rectius praetermittuntur, quam obscurius explicantur.

§. XXXVIII.

Morbus igitur secretionis bilis laesae erit impotentia partium, vel transmittentium, vel recipientium, *Quid morbus secretionis laesae?* vel constitutivarum efficiens, ut bilis vel plane non, vel non rite secernatur, a constitutione praeternaturali distandarum partium dependens.

§. XXXIX.

Partes transmittentes (§. 37. Schol. I.) si peccant, *Partes transmittentes peccant.* id fieri debet, vel ex coarctatione, vel ex obstructione, vel ex extensione, qualicumque ex causa productis.

§. XL.

Si itaque peccant vel ex coarctatione, vel obstructione, sanguis non ulterius progredi potest, E. stagnabit: ex stagnatione & ipse corrumpet & ad corruptionem partes disponet adiacentes, hinc oritur *Ex coarctatione hinc Inflammatio,* inflammatio, scirbus, induratio; In eo loco, ubi est inflammatio, praepeditur, nisi auferatur, secretio bilis, sanguis enim non ad

ad loca debita deferitur; eadem in toto hepate, ob vasa per consensum contracta & irritata vel cessat plane, vel saltem imminuitur.

SCHOLION.

Sanguis noster ex particulis summe corruptibilibus constat, quae si stagnant statim ad putredinem degenerant & plane non, nisi continuo motu, conseruantur, hinc ratio, quare post mortem statim foetore aliquo praedita obseruamus corpora.

§. XLI.

Ergo particulae ad secretionem praeparatae (§. 18. Schol.) vel plane non, vel minima earumdem quantitas secernitur. E. fiet, vt eadem cum reliquo sanguine per venam cavam redeant ad cor (§. 11. 29.) hinc per admixtionem feri & lymphae leuiiores redditae ad glandulas salivales, intestinorum & pancreatem deferantur, ibidemque cum lymphâ secernantur nonnullae, aliae ad extrema vascula cum sanguine perueniant. Encausas ob quas in tali inflammatione (§. 40.) oriatur *sitis maior*, ob actionem salium biliosorum in linguam, *lingua lentore flauo tincta*, *urina crassa*, & *excrementa flaua*, interdum *icterus ipse* (§. 52.)

§. XLII.

Quum ex stagnatione & subsequente corruptione oriatur inflammatio (§. 40.) Corruptio vero minorem efficit partium in quas agit, cohaesionem inter se (per princ. phys.) E. corruptae partes ob cohaesionem imminutam minus resistunt: ast fluida pressa premunt vndi-

igna in-
mmat.
cident.

igna pa-
nognomica.

undiquaque, versus eum tamen locum magis, vbi minor est resistentia (per princ. hydr.) in loco corrupto est minor cohaesio, E. minor resistentia, E. versus eum locum sanguis, vt fluidum pressum magis premet, hinc oritur *rubor* ob sanguinis rubicunditatem, *tumor* & *dolor*.

§. XLIII.

Si partes adiacentes irritantur & constringuntur *Vnde fel* (§. 40.) irritentur vt arteriae (§. 14.) undique per he- *acuta or* par dispersae, necesse est; irritata arteria propter elasti- *tur in in* citatem sese contrahit, & *pulsus* efficit *durum*, motum *flammati* vero progressuum celeriores, E. & intestinum, E. plu- *ne* res particulae liberantur, & actio eorundem fit maior (per princ. pathol.) *febris* itaque oritur pro magnitudine loci inflammati ac reliqua sanguinis quantitate magis vel minus *Acuta*.

§. XLIV.

Traditis tam causa (§. 40.) quam signis (§. 41. *Cura gen* 42. 43.) ad curam ipsam perveniendum est. Primarius *ralis* itaque scopus esse videtur, vt stasis, quantum fieri potest, expediatur, & sanguini liberior transitus concilietur. Quamvis autem naturae hoc magis sit, quam Medici, attamen & ipse tamquam naturae minister eo annitatur, vt numquam in contrarium tendat.

§. XLV.

Medicus itaque mature accedens, prius nempe, *Cura spe* quam stasis in actualem venerit corruptionem *cialis*.

I. instituet *venae sectionem*.

qua efficiet, ne sanguis ad partem adfectam copiose adfluere possit: praesente iam corruptione vix quidquam efficiet, attamen & tunc rite vena secatur, si corpus summe plethoricum est, aut aliae res, quae circumstant, id suadeant. Procedendum

II. ad ea, quae statum tranquilliores inducere & discussionem staseos respicere valent.

qualia sunt lenia abstergentia cum nitrosis, salibusque mediis combinata, absorbentia acido quodam leniori saturata & omnia, quae euidentem, minime vero drasticam vim diureticam habent, qualem se praebet numquam satis laudanda aqua medicata, ex aurantiis producenda & cum sale, qui quoque ex iisdem prouenire solet, ad mentem B. BOERHAVII paranda pro potu ordinario, interpositis lenissimis & temperatissimis alexipharmacis. Externe conducunt sic dicta discutientia, e. gr. fofus calidi ficci, facculi discutientes & spiritus vini camphoratus.

Reliqua pro ratione indiuidui & aliarum rerum erunt metienda, quo pertinet vt alius semper aperta feruetur, ne maiores anxietates superueniant; porro ne hoc fiat stimulantibus & inflammatorii salis plenis, lenissimi potius clysteres conducent.

SCHOLION. I.

Venae sectionem in febribus acutis numquam nec necessariam nec vtilem esse adserit B. STAHLIVS in *Diff. de V. S. in Febribus acutis*, nec dubitandum, quin hic vir sagacissimus rei veritatem perspexerit, videas

deas tamen ipsum: nam ut haecce transcribamus, dissertationis limites prohibent.

SCHOLION. II.

De alexipharmacis lenissimis diximus, monendum ergo duximus, non omnia alexipharmaca sine discrimine aegris esse propinanda: essentiae enim & tincturae, prout in plurimis prostant officinis, tali casu haud conducunt, nam eas prompte spiritibus frumenti leuiter tantum rectificatis extrahere solent pharmacopolae; qualis iisdem vis insit, omnes peritiores Medici cognoscunt, quicunque igitur Medicorum iuxta CELSI monitum *tuto, celeriter & iu- eunde* morbis mederi vult, abstineat ab hisce, & priuilegio potius, quod ei tamquam legitime promotio competit, eo vtatur, vt peculiari modo pro scopo suo praeparet sibi qualiacumque medicamina vel temperantiora vel spirituosiora, ne ad id tantum factus videatur, vt pharmacopolarum per schedulas crebriores augeat philautiam, vtque tandem se peritiores esse omnibus medicis gloriari valeant.

§. XLVI.

Scirrhi & indurationis in hepate fientium mentio-*Scirrbus* nem fecimus, & res omnino postularet quidem, ut & *induratio* de his nostram diceremus sententiam; quoniam vero haec *Medicis*, minime vero agyrtis & empiricis scripta sunt, eo facilius nos ab illis veniam impetraturos credimus, quo promptius nostram de his ipsis opinionem ex praecedentibus colligere valebunt, quam ob rem, ne in maiorem accrescat dissertatio molem, alio tempore plura verba facienda erunt.

§. XLVII.

Partes transmittentes (§. 37. Schol. I.) si nimium *Partes*
D 2 dilatan- *transmit*

ntes pec- dilatantur (§. 38.) a qualicumque causa, plus sangui-
nt ex di- nis intrat. E. secretio bilis fit copiosior. Quid vero
atione. a bile quantitate excedente produci queat, infra (§. 57.)
dicendi locus erit.

§. XLVIII.

rtes reci- Partes recipientes (§. 37. Schol. I.) si peccant, iti-
ntes pec- dem vel ex plenaria obstructione, vel ex quadam angu-
nt. statione, vel ex dilatatione omnino fiet.

§. XLIX.

x obstru- Raro accidit, vt omnes partes recipientes obstru-
ione. antur, forte numquam fit, nisi ex spasmodica hepatis
contractione: ast si fieret, particulae sanguinis crassio-
res praeparatae haud transibunt ob poros obstructos
E. cum cetero sanguine ad cor abibunt, hinc quoque;
orirentur ea, de quibus supra (§. 41.) diximus, incom-
moda. Si vero nonnullae tantum partes vel obstru-
ctae vel angustatae sunt, ceterae non, fiet, vt non omnes
particulae, secretioni dicatae, secerni queant, E. rema-
nent, quamuis minori quantitate, & sanguini rursus
commiscentur, serumque ex viridi flavescens reddunt.
Haec ratio esse videtur, quare multi sibi persuadeant,
serum colore dicto tinctum, esse morborum hepatico-
rum praenuncium, quamuis non pro vniuersali vero
adfirmari possit.

§. L.

x pathe- Quod ex pathematibus animi maioribus, praeci-
atibus fit pue ex iracundia, bilis adfluxus maior prouenire queat,
nstrictio. experientia loquitur, si nempe constrictio, quae angu-
statio-

stationem efficit, partium recipientium exinde oriatur. Constrictio haec pro magnitudine adfectus minor, maior & maxima esse poterit. E. & angustatio, E. & adfluxus bilis ex angustatione productus, maiori vel minori vi per hepaticum ad cholidochum (§. 12.) & per hunc ad duodenum ruet. Chylo permixta & ad ventriculum delata, quo magis fermentescibilia offendet, eo magis acidum viscidum corrosivum producet, quo facit, si ventriculo fermentescibilibus repleto premittitur cystis fellea, ut & ex hac adfluat bilis (§. 35.). Acidum istud corrosivum ad sanguinem delatum efficiet, ut salium actio & sulphuris in se inuicem maior fiat, addendo istis partibus multum corrosivi (seu ut alii volunt, natura ad expellendam materiam noxiam instituit actiones maiores) hinc oriri solet *febris* sic dicta *biliosa*. *Febris biliosa unde?*

Robustior si natura adest, & sanguis pulcre constitutus, ita ut partes corrosivae illatae a sanguine bono resoluantur, & ad peripheriam per vasa minima deferantur, fit *icterus* loco febris biliosae, & sic celeriter *icterus* ut particulas corrosivas a sanguine bono superatas euacuare intendit, quod ex *fluedine oculorum*, *cutis* & *sudoris*, *Vrina crassa* & *excrementis tinctis* omnino adparet. *de?*

SCHOLION.

Diceret quis: Si tam copiose in Ictero materia peccans euacuatur a natura, tandem desinet etiam, plane non adiutrices manus adhibente Medico, sed videmus, quod raro aegrotus sine consilio medico pristinam accipiat sanitatem. His respondeo, quod constrictio

Etio per tempus adhuc duret & nisi coerceatur, in consuetudinem degeneret, E. & adfluxus bilis constrictione facta durabit impetuosior, & semper de nouo praedictam incipiet fabulam.

COROLLARIVM. I.

Quo ergo plura fermentescibilia bilis adfectu grauiori mota offendet, eo maiores producet morbos.

COROLLARIVM. II.

Soli robustiori naturae debetur, quando post vel ante adsumtionem ciborum praecipue facile fermentescibilium animus pathematibus grauioribus mouetur, & icterus, non autem febris biliosa exinde nascatur.

§. LI.

ma febris
iosae.

In febribus itaque biliosis, quoniam particulae acres corrosiui ad sanguinem deferuntur (§. 50.) etiam cum ipso commixtae in glandulis saliuilibus secernuntur (§. 41.) hinc oritur *sitis* & *linguae, fauciumque ariditas* pro salium actione maiori tanto interdum gradu, vt *fissurae* exinde conspiciantur. Ex maiori particularum actione in se inuicem (§. 50.) oritur *aestus febrilis*. Ventriculus ex inaequali, quae ibi haerent resolutione, inaequaliter premitur, accedente aestu interiori, *anxietates* ergo *praecordiales* producere valet: si vero irritatur, motus peristalticus inuertitur, & *vomitibus biliosis* oriuntur.

§. LII.

tra.

In medela res eo venire videtur, vt saburra biliosa primum in ventriculo & duodeno, postea in sanguine

guine haerens (§. 50.) partim euacuetur, partim alteretur & euacuetur, motus maiores sedentur, & huic vel illi parti illata arrosio mitigetur.

§. LIII.

Primis ergo diebus si accedit medicus, recte curam ab euacuantibus s. emeticis s. purgantibus incipit, quousque scilicet in primis viis materia peccans haeret; at si ad sanguinem iam transierit, parum proficiet istis, hinc rectius rem adgreditur

I. Medicamentis alterantibus,

in quorum censum veniunt temperantia, nitrosa, absorbentia marina, mucilaginosa aequae ac diluentia; prae omnibus laudo salia essentialia herbarum, & ex iis id, quod ex chamomilla romana & acetosa paratur, quanta enim iisdem vis insit, practica exempla monstrabunt, id tantum observandum venit, ut rite praepararentur & secundum eam artem, quae solis chemiae diligentioribus scrutatoribus innotuit, ne aliquid peregrini accedat inter operandum sedulo caueatur. Materiam sic alteratam porro adgredimur

II. lenioribus euacuantibus

qualia sunt rhabarbarina, abstergentia saponacea item decocta ex tamarindis, foliis sennae cum aniso praecipue stellato, adiecto stimulo paucos ex nitro antimoniatos constantes. Optimam abstergenti vim ostendit extractum liliorum couallium, quod quidem hactenus, quantum scimus, a nemine ad hanc classem redactum est, attamen experientiae istud, quod de eo in medium

dium produximus, respondet; siquidem vim eiusdem maiorem reddere possumus per adiectionem salis ex floribus lilii conuallium producti. Clysteres quoque emollientes oleosi optime conducunt. Fit aliquando, vt intestina ab acido corrosiuo transeunte arrodantur, proinde medici est,

III. Vt arrosionem factam mitiget, & auferat, quod consequi licet per clysteres e lacte, aqua de arquebusade cum sebo animali & vitellio ouorum praeparati; Instar omnium erunt, qui adiecto scordio, oleo scorpio-
num & extracto melonum producuntur, nec satis verbis exprimendum, quantum praestare valeant.

§. LIV.

*Icteri causa
& cura.* De Icteri, cuius causam & signa iam (§. 50.) enarrauimus, cura pauca verba sumus facturi.

Plane vero non excludimus alias eiusdem causas, e. gr. poros bilarios obstructos, suppressionem febrium intermittentium, praecipue quartanae, repentinam haemorrhagiarum repressionem, scirrhosam hepatis consistentiam &c. sed quoniam propositum non est tractatum sed dissertationem conscribere, vnicam saltem causam, speciminis loco exhibemus. Cura itaque in eo obtinetur, si bilem, quantum fieri potest, in suis limitibus seruemus, & motum constrictorium hepatis sistamus, ne bilis continuo adfluendo noceat, hoc obtinetur per aperientia, incidentia & resoluentia. Quo faciunt pilulae Becherianae a Stahlio correctae, & Salia media vitriolacea interpositis diure-

tico-

tico-alexipharmacis. Morbus si ad decrementum peruenit, tonicis optime tractatur, ex quibus singularis, quem praestat, vsus gratia hic appono radicalem succini solutionem, quae in omnibus balsamo de Mecha similis videtur & ad xv. ad xx. guttulas exhibita, mira praestat.

§. LV.

Quando vel in vesicula fellea, vel in ductu cho- *Calculi*
lidocho reperimus *calculos*, qui ad bilem coagulata *hepate.*
concretam ex nostra sententia referuntur, secretio quoque biliosa intercipitur, quo minus ad loca destinata perferri queat.

CASVS.

Parens meus ad cineres venerandus cum ante paucos abhinc annos virum quemdam florente aetate constitutum, e viuis ereptum, secandum curaret, bilem tam in cholidocho quam in cystide alias obuiam in parua & magna frustula calculosa concretam & coagulata reperiebat, quam & adhuc seruat, neue guttula quidem fluidi cuiusdam adparebat.

De veritate itaque & existentia huius rei plane non dubitans, sequentem adiicio causam: copiosa lymphatica obseruamus vasa (§. 13.) per totum hepar, praemis vero in cholidocho & cystide, haec continuo fluidum absorbent, si vero atonia pororum biliorum accedit, partes quae propelli debebant, non propelluntur (§. 28. no. 2.) E. subsistunt ex aliqua parte E. fluidae partes, quae adhuc bili inhaerebant, ob retentionem
E longio-

longiorem a vasis lymphaticis absorbentur. E. crassiores remanent, coagulantur, concreescunt.

§. LVI.

partes con-
stitutivae
peccant.

Ratione partium constitutivarum (§. 37. Schol. I.) bilis peccare potest, vel quantitate, vel qualitate, vel motu.

§. LVII.

Quantitate.

Quantitate peccabit vel excedente vel deficiente. Excedente quantitate peccabit ex dilatatione vasorum transmittentium (§. 47.) &c. & si peccat, magis ea, quae in ventriculo haerent, resoluet (§. 33. n. 1.), quam debebat & attenuet, & intestina magis ad expellendum stimulat (§. 33. no. 2.) hinc *diarrhoeam* & *defectiones biliosas* producet. Quantitate deficiente si peccat, minus resoluet, quae resoluenda erant, (per praeced.) E. *Appetitum prostratum* ex inaequali resolutione producet, & *fecum indurationem* ex minori stimulo efficiet.

§. LVIII.

Qualitate.

Qualitatis vitiis si bilis laborat, id fiet

1) vel ratione *totius*, si nempe in totum ita corrupta apparet, ut vel nimis tenuis vel nimis crassa, vel colore & gustu plane praeternaturali praedita sit & ita innumeros producere valet morbos, quoniam tunc totum istud, ex quo producitur, fluidum (§. 26. no. 3.) corruptum esse debet.

2. vel ratione *quarundam partium* tantum, quando nempe nonnullae particulae rite, reliquae vitiose praeparatae sunt.

§. LIX:

Motui si peccatum inest, id vel in tardiori vel in *Motu.* celeriori erit, ambo a quantitate, vel qualitate, vel vitio transmittentium & recipientium dependent, quare quilibet ipse perspiciet, quomodo ex dictis (Cap. III.) hoc sequi possit, hanc ob causam hisce non diutius detinemur.

§. LX.

Multa certe, certe multa adhuc explananda super- *Finis.* essent, nisi institutum hic finem imponere suaderet; ast quoniam materia tam ardua maiori indagatione omnino digna videtur, Deo ter optimo maximo vires & vitam conservante, hanc ipsam ulteriori disquisitioni subiiciendam reseruamus. Itaque Dissertationi nostrae iam imponimus

F I N E M.



It is a well known fact, that the liver is the seat of the secretion of bile, and that this secretion is necessary for the digestion of food.

CHAPTER I.

The liver is a large, soft, and fleshy organ, which is situated in the right side of the abdomen, and is the seat of the secretion of bile. It is a well known fact, that the liver is the seat of the secretion of bile, and that this secretion is necessary for the digestion of food.

CHAPTER II.

The liver is a large, soft, and fleshy organ, which is situated in the right side of the abdomen, and is the seat of the secretion of bile. It is a well known fact, that the liver is the seat of the secretion of bile, and that this secretion is necessary for the digestion of food.

FINE.

